



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quomodò Deus ac Christus habitat & viuit in nobis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**



patre, à quo illi donatus est Christus, 1. Corinth. 1. In tali fide consistit vera spiritualis Christiani vita, quæ multò nobilior est carnali vita nostra: Quasi diceret Apostolus: In carne quidem ego viuo, comedo, bibo, dormio, ambulo, &cæt. Sed hanc vitam, quantulacumq; est, nō habeo pro vera vita, sed illam quæ est in fide filij Dei viuentis, hæc fides est vera vita animæ, in tentatione peccati, mortis & Sathanæ: ideò dicebat Prophe. Psal. 118. Viuifica me secundum verbum tuum: sic ad Coloffen. 3. inquit Apostolus: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quantumcumq; ergò mūdus oppugnet & persequatur nos, & corpus sit fragile atq; moribūdum, anima tamen semper viuit fide filij Dei, quæ est victima pro peccatis nostris, Esai. 53. Hæc fides & vita in Christo, est illa interna pax & gaudium conscientiæ, de qua dixit Christus Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem conscientiæ. Et hanc vitam nemo potest à nobis tollere, nisi desperatio de Christo, & illam vitam in Christo absconditam mundus non videt nec intelligit, sed in tribulatione inquit ad Christianos, sicut Iudæi Christo dicebant in cruce: Veniat Deus liberans eum: sic vbi succumbunt huius mundi malis Christiani, inquit impij: Vbi est Deus eorum? Psal. 78. & 113. Nostra consolatio consistit in vita fidei quam scimus nos non derelictos, nec derelinqui, etiam si totus mūdus & omnia elementa minantur contraria. Sic inquit Christus Ioan. 16. Confidite, quia ego vici mundum. & Roman. 10. Omnis qui credit in illum, non confundetur.

Iudit. 7.  
Ioc. 2.

2. Apostolus inquit ad Gala 2. Viuo iam non ego sed viuit in me Christus: Quasi dicat Apostolus, mea vita non viuo: alioqui lex dominaretur mihi, meq; captiuum retineret: omnis enim homo, iuxta naturalem & animale vitam, est subiectus legi. Et quoniam legem non seruat, ob id est mortis filius: ergò ne lex captiuet



captiuē & retineat ad mortem, per aliam legem, scilicet Fidei in Christum, liberatus sum. Hic Christus in me uiuit, qui est Dominus legis & peccati & inferni. In illo ergo Christus uiuit, qui credit, quod Christus resurrexit propter suam iustificationem, Roma. 4. id est, quod in accusatione legis & peccati, propter Christum reputetur iustus ac sanctus, ueluti si ipse legis satisfecisset. Summa, qui ignorat propriam iustitiam ac sapientiam, & solum fidei Christi iustitiæ ac illius beneficijs, non quidem ne faciat iustitiam, sed ne in propria fidat, sicut Iudei faciunt Roman. 10. volentes suam iustitiam statuere, & iustitiæ Dei non sunt subiecti. Sic Apostolus 1. Corinth. 2. nihil ait se scire, nisi Christum & hunc crucifixum: hæc est enim summa iustitia & sapientia Christiani, nam alteram quæ ex lege est, idem Apostolus reputauit ut stercora, Philip. 3. ut illam lucrifaceret. Viuit quoque Christus in nobis, quando in nobis regnat fructibus regni sui. regnum enim Christi est aliud nihil, nisi iustitia, humilitas, charitas, patientia, misericordia, castitas, Fides, longanimitas, &c. nam illi sunt fructus Spiritus sancti, Galat. 5. Hoc regnum in primis quærere iubet Christus Matt. 6. scilicet ne in nobis peccatum regnet, superbia, luxuria, &c. sed ut ipse in nobis uiuat & imperet, sicut Rex in regno suo, ut illi obediētiam præstamus. Tunc enim in nobis uiuit Christus, quàm diu cum fide retinemus in corde nostro, & illum ut unicum nostrum redemptorem amplectimur. Sic petijt Apostolus pro suis Ephesijs, 3. cap. inquit, Flecto genua mea &c. ut det uobis Christum uiuere & habitare in cordibus uestris per fidem, &c. Hoc quoque docuit Christus, orare scilicet, Adueniat regnum tuum, eò quod gratia DE I cum omnibus suis uirtutibus oportet ad nos ueniat. Nam nos ex natura nostra nunquam ad illud uenimus, sicut Christus scilicet uenit ad nos: alioqui ex nobis nunquam ad ipsum uenisset.

mus.



mus. Hoc regnum Dei intra nos est, Luc. 17. & nō indigemus hoc è mari vel è longinquo auferre: nec in vestitu, loco aut cibo consistit, Rom. 14. Sed in pietate, humilitate, misericordia, patientia, &c. Exteriora tamen ad retentionem virtutum conducunt, licet nō conferant. Sic igitur viuit Christus in nobis, quandò virtutes illius imitamur, patiētiam, dilectionem, &c.

3. Sathan princeps huius mundi dicitur, Ioan. 14. eò quòd & ipse suum habet regnum in mundo: in illo enim regno sunt vitia omnia capitalia, superbia, luxuria, auaritia, adulterium, amaritudo, inimicitia, &c. sicut Apostolus ad Galat. 5. describit opera carnis. Omnis ergò qui in vitijs delectatur, & incessanter his tenetur captiuus, hic viuit in sathana, & sathanas in illo, & ille impellit eos in omnis generis errores, flagitia, ac pœnas corporales, bella & incendia, & alias calamitates. Omnis ergò qui in tali regno viuit delectabiliter, is nō peruenit ad regnum Dei, sicut Apostolus testatur, 1. Cor. 6. Rom. 1. Ephes. 5. ad Galat. 5. ait: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, sed inquis: si hoc est esse in regno Sathanæ & in illo viuere, qui in peccatis est, nemo erit in regno Christi. Respondeo: In regno sathanæ esse contingit dupliciter: voluntariè, & non voluntariè. Non voluntariè sunt, qui sentiunt in carne peccatum, superbiam, luxuriam, gulam, &c. attamen dolent, & nō consentiunt, sed clamāt ad Deum, vt suum adueniat regnum, vtq; liberentur à malo, Matt. 6. & hoc iubet Apostolus, ad Romanos suos 6. cap. inquis: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore. Voluntariè autem sunt in regno sathanæ, qui sequuntur & perficiunt cupiditates suæ carnis, & delectatur illis, idq; cum proposito peccandi, & in peccatis perseuerandi, ac scienter præcepta Dei transgrediendi: Illi non sunt Christi, quia non crucifigunt carnem cum concupiscentijs suis, Galat. 5. Peccare cum proposito

contra